

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XLI. Continens Historiam De Peragatione Christi Per Totam
Galilaeam, Matth. 4. Marc. I. Luc. 4.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

Interea ipsa turba pervenerunt usque ad locum illum, ubi Jesus erat, & detinuerunt eum, ne discederet ab ipsis. Lucas enim utitur verbo *κατέχεν*, quod Græci interpretes, Gen. 24. vers. 56. usurparunt, ubi servus Abrahamæ petentibus moram aliquot dierum, respondet *μη κατέχετε* me. Discipuli verò, cum dicunt: (*Omnes querunt te*), significant, æquum esse, ut apud illos, in quibus initia doctrinæ Evangelicæ excitaverat, & desiderium discendi, maneat, & plenius ipso instituat. Item, propter frequentiam populi commodius, & ad conciliandam veritatem, auctoritatem & dignitatem utilius esse, ut in metropoli maneat. Et hæc sanè rationes alium quempiam doctorem merito retinissent. Sed Christus respondet ex ratione suæ vocationis: (*Exivi*), inquit, sicut Marcus loquitur, scilicet à Patre, Joh. 16. vers. 27. (*Et missus sum*) scilicet à Patre cœlesti in mundum, sicut Lucas verba recitat, non ut docendo in una aliqua civitate hæream, sed ut omnes civitates Israel brevi ministerii mei curriculo peragrem, & ubique per totam terram promissionis semen Evangelii spargam, non tantum in magna frequentia & claris civitatibus, verum etiam in vicis obscurioribus & ignobilioribus. Non enim est apud eum acceptio personarum, Rom. 2. vers. 11. sed humilia eligit, 1. Cor. 1. v. 27. Ne verò Doctores & Pastores, quos Paulus, Ephes. 4. v. 11. ab Apostolis & Evangelistis distinguit, occasionem circumcurritandi hinc sumant: Christus vocationem & missionem allegat. Et quia in civitatibus totius illius terræ evangelizare debebat, ideò sufficiebat ipsi in singulis locis fundamentum jecisse, & animos expergefecisse, ut post passionem & resurrectionem suam, ad clariorem Evangelii divulgationem accipiendam, parati essent. Ita enim predictum erat, Psalm. 22. v. 23. & seq. Esa. 53. v. 11. Et Christus sæpe discipulis suis edicit, ne illa, quæ potissima sunt Evangelii mysteria, evulgent, priusquam Filius hominis ingressus fuerit gloriam suam. Cumque Capernaïtæ magis miracula quærent quam doctrinam, Joh. 6. v. 30. ideò Christus respondet de Evangelio regni Dei.

Observanda verò est & hæc Grammatica. Lucas vocat *πόλεις*: Marcus *κωμοπόλεις*. Cujus vocabuli compositio significat loca, quæ vicis majora sunt, & tamen minorâ, quàm ut oppida dici mereantur: sicut municipia appellantur, quasi dicas, rusticana, pagana seu villana oppida. Varinus inquit: *κώμη* est *πλειόνων οἰκων σύστημα, ἢ ἡ πόλις κειμένην*. Hesiodi interpres inquit: *κώμη ἢ πόλις, ἀλλ' ἢ μείζων ἀγορεύεια*. Et Josephus de Bello lib. 5. cap. 2. scribit, in Galilæa esse *πολεις πικνὰς* civitates crebras, *τῶν κωμῶν πληθύνει πικνὰς πολυάνθρωπων*, & ubique multitudinem vicorum populosam, ut quæ minima sit vel civitas, vel villa, supra quindecim millia colonorum habebat. Sed ex collatione lingvæ Ebrææ facilius & rectius intelligi potest, quid Marcus velit. Nam. 1. Reg. 6. v. 18. nominantur urbes munitæ seu muratæ, & villa non munitæ, quæ Græci reddiderunt *κώμους* 1. Par. 18. v. 1. 2. Par. 13. v. 19. & 28. v. 18. Illustris verò locus extat, 1. Par. 27. 25. ubi distinctè quatuor ponuntur vocabula: oppidi, vici, castelli & agri: quæ secundum magis & minus gradatim differre, non est dubium. Cumque inter vicos hæc differentia, quod alii alii majores sunt, qui ad urbium fermè magnitudinem accedunt: hanc differentiam, Marcus nova hac compositione, cum vocat *κωμοπόλεις*, significare voluit. Syrus sicut & vetus interpres distinctè legunt, vicos & civitates. Et *מרי* significat vel civitates, vel vicos, hoc est civitates minores; *מרינה* significat urbes magnas, & civitates metropoles. Erant igitur, sicut ex hoc loco Marci colligitur, synagogæ non tantum in majoribus seu munitis civitatibus, verum etiam in vicis amplioribus. Castella verò seu agri, sicut Marci 5. v. 14. vocantur, hoc est, minores vici, non habuerunt peculiare synagogas, sed conferebant se in proximas sive civitates, sive vicos. Et quia Christus hanc profectionem instituebat, ut in synagogis doceret, ideò Lucas nominat *πόλεις*, & Marcus *κωμοπόλεις*. Ibi enim synagogæ erant. Hæc observatio vocabulorum non injucunda est.

CAPUT XLI.

CONTINENS HISTORIAM DE PERAGRATIONE

CHRISTI PER TOTAM GALILÆAM,

MATTH. 4. MARC. 1. LUC. 4.

RATIO ORDINIS.

PERAGRATIO Christi per totam Galilæam describitur Matth. 4. v. 23. describitur etiam Marc. 1. v. 39. Et non esse duas distinctas peragrationes, cum necesse sit, ponere utramque post initium secundi anni, ante Pascha factam, in generali comonefactione, post caput Harmoniæ 36. positâ, ostendimus. Quia enim, sicut Josephus scribit, Galilæa habuit civitates *πικνὰς*, frequentes, crebras seu densas, & ubique magnam vicorum populosissimorum multitudinem, & Christus totam Galilæam ita peragravit, ut in synagogis ipsorum, in quibus Sabbatis convenie-

bant, doceret: & ab initio secundi anni usque ad Pascha, propter interjectas alias multas & varias historias, peragrationibus istis vix duo menses tribui possunt ratio igitur Topographiæ & Chronologiæ non admittit, ut in Harmonia ponatur, Christum tam brevi temporis spatio bis totam Galilæam, Sabbatis in synagogis eorum docendo, peragrasse. Nec dici potest, peragrationem, quæ Matth. 4. v. 23. describitur, præcessisse seu priorem fuisse, quam postea subsecuta sit altera seu secunda peragratio, Marc. 1. v. 39. Tunc enim Christum primò totam Galilæam docendo peragrasse, quando Marcus illud describit, textus non obscuro

Harm. Tom. I.

E e r e

re ostendit. Longè verò post Pascha subsecuta est alia Galilææ peragratio oppidorum & vicorum, Luc. 8, 1. Hinc itaque colligitur, unam & eandem esse Galilææ peragratiorem, Matth. 4. vers. 23. & Marc. 1, 39. Et Matthæus quidem, peragratiorem illam factam, scribit; tempus vero & occasionem, qua suscepta sit illa peragratio, Marcus expresse

notavit. Cumque hunc ordinem Marci Lucas etiam suo consensu confirmet, non est dubium, in Harmonia hoc loco ordinem Marci sequendum, & ad illum accommodandum esse Matthæi de peragratiore Galilææ.

HISTORIA PERAGRATIONIS CHRISTI PER TOTAM GALILÆAM,

MATTH. 4.

23. Καὶ περιήγεν ὅλην τὴν Γαλιλαίαν ὁ Ἰησοῦς, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, καὶ θεραπεύων πάσαν νόσον, καὶ πάντα μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ.
24. Καὶ ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν, καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντες τῶς κακῶς ἔχουσας, ποικίλαις νόσοις καὶ βασάνοις συνεχομένους, καὶ δαιμονιζομένους, καὶ σελήνιαζομένους, καὶ παραλυτικούς, καὶ ἑτεροπεύοντες αὐτούς.
25. Καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, καὶ Δεκαπόλεως, καὶ Ἱερουσολύμων, καὶ Ἰουδαίας, καὶ πέραν τῆς Ἰορδάνου.

23. Et circumibat totam Galilaam Jesus, docens in synagogis illorum, ac predicans Evangelium regni, & sanans omnem morbum, & omnem languorem in populo.
24. Et dimanavit fama illius in totam Syriam: et adduxerunt ad illum omnes male affectos variis morbis ac torminibus constrictos, & demoniacos, & lunaticos, & paralyticos: & sanavit illos.
25. Et secuta sunt eum turba multa à Galilæa, ac Decapoli, & Hierosolymis, & Judæa, & à regionibus trans Jordanem sitis.

MARC. 1.

39. Καὶ ἦν κηρύσσων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, εἰς ὅλην τὴν Γαλιλαίαν, καὶ τὰ δαιμόνια ἐκβάλλων.

39. Et predicabat in synagogis eorum, in tota Galilæa, & demonia ejiciebat.

LUC. 4.

44. Καὶ ἦν κηρύσσων ἐν ταῖς συναγωγαῖς τῆς Γαλιλαίας.

44. Et predicabat in synagogis Galilææ.

HARMONIA HUIUS HISTORIÆ, EX DESCRIPTIONIBUS MATTHÆI 4. MARCI 1. LUCÆ 4. IN UNUM CORPUS COAGMENTATA.

α Καὶ περιήγεν ὅλην τὴν Γαλιλαίαν ὁ Ἰησοῦς, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, β κηρύσσων α τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, γ ἐν τῇ συναγωγῇ α τῆς Γαλιλαίας, δ εἰς ὅλην τὴν Γαλιλαίαν, α καὶ θεραπεύων πάσαν νόσον, & πάντα μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ, β καὶ τὰ δαιμόνια ἐκβάλλων. α καὶ ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν, γ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντες τῶς κακῶς ἔχουσας, ποικίλαις νόσοις καὶ βασάνοις συνεχομένους, δ δαιμονιζομένους, ε σελήνιαζομένους, καὶ παραλυτικούς, καὶ ἑτεροπεύοντες αὐτούς. καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, καὶ Δεκαπόλεως, καὶ Ἱερουσολύμων, καὶ Ἰουδαίας, καὶ πέραν τῆς Ἰορδάνου.

α Et circumibat Jesus totam Galilaam, docens in synagogis illorum, β ac predicans γ Evangelium regni δ in synagogis e Galilææ, ε β per universam Galilaam, α & sanans omnem morbum, & omnem languorem in populo, β & ejiciens demonia. α Et dimanavit fama illius in totam Syriam: γ & adduxerunt ad illum omnes male affectos, variis morbis ac torminibus constrictos, δ demoniacos, ε & lunaticos, & paralyticos: & sanavit illos. Et secuta sunt eum turba multa à Galilæa, & Decapoli, & Hierosolymis, & Judæa, & à regionibus trans Jordanem sitis.

Periocha hujus Historia.

Matthæus utitur verbo περιάγειν, quod significat, non rectè progredi, sed adire singula, quæ sunt in circuitu, loca. Ita enim Marc. 6. v. 6. explicatur: circuit villas τὰς κύκλῳ. Illa autem præcipuè loca in tota Galilæa, ubi synagogæ erant, adivit: sicut Marcus & Lucas annotant. Et quod Marcus dicit, (εἰς ὅλην Γαλιλαίαν,) potest ita exprimi, ut sensus sit: Prædicabat in synagogis per totam Galilæam. Sed Græci interpretes frequentissimè εἰς cum Accusativo usurpant pro ἐν cum Dativo, ut Zach. 9. v. 4. εἰς θάλασσαν, in mari. Ezechiel 29. v. 6. Qui habitant εἰς αἴγυπτον, qui habitant in Ægypto. 2. Par. 6. v. 26. Oravit εἰς τόπον in hoc loco. Ita & hæc phrasis Marci simpliciter intelligatur εἰς Γαλιλαίαν, pro ἐν, in tota Galilæa. Ebraeis enim una præpositio Beth respondet duabus Græcis, εἰς & ἐν.

memorabilia, quò ad doctrinam & miracula, acciderunt. Sed Evangelistæ, quia in præcedentibus explicationem de doctrina & miraculis Christi tradiderunt, multas illas historias brevissimè perstringunt. Lucas tantum dicit: (Erat predicans in synagogis Galilææ.) Marcus addit de expulsiōe demonum. Matthæus verò plenius quidem aliquantò hanc peregrinationem describit; sed tamen & ipsa capita tantum notat, (Docens, inquit, in synagogis per totam Galilæam, predicabat Evangelium regni.) Quòd verò Marcus & Lucas dicunt: (Erat docens, erat predicans, erat ejiciens,) Chaldaismus est: Syrus enim præterita imperfecta per verbum substantivum & per Participium ita reddidit. Quæ verò capita fuerint doctrinæ, & quòd Evangelium regni Dei, quia supra explicatum est, Evangelistæ hoc loco non repetunt, significantes Christum, sine affectatione variationis aut novitatis, eandem

Multa autem sine dubio in illa peragratiore

easdem res, eadem forma doctrina seu verborum, ubique propoluisse. Et quod Marcus supra vocavit Evangelium regni Dei: hoc Matthæus simpliciter appellat Evangelium regni, per antonomasiam Messia regnum ita appellans.

De miraculis verò in illa peregrinatione editis Matthæus inquit: (*Sanavit omnem morbum.*) Non quòd nullus agrotus in Galilæa manserit: postea enim de variis agrotis mentio fiet: sed sicut in sequentibus Matthæus explicationis gratia vocat, varios morbos: Ita hic simpliciter intelligit, nulum genus morbi fuisse, quod non sanatum fuerit à Christo: ut omnem morbum intelligat, quemvis morbum, *Allerley Kranckheit.* Et hoc loco Matthæus nominat *ῥῶγον* & *μαλακίαν*; in sequentibus verò plures addit species. Et Græcis quidem interpretibus usitata est vox *μαλακία*, Gen. 42. v. 4. Exod. 23. v. 25. Deut. 28. v. 61. Job. 33. v. 19. &c. Sed ex collatione locorum deprehendi, quòd non constanter ubique respondeat uni alicui Hebraico vocabulo, imò alicubi in duriori significatione reddiderunt *μαλακίαν*, quàm *ῥῶγον*. Habita igitur ratione Etymologiæ vocis *μαλακίας*, existimò differentiam ita posse constitui. Hebræi habent vocabulum *יָרַח*, quòd significat languorem & debilitatem, qualis est menstruarum, Levit. 15. v. ult. & 20. v. 18. aut lapsum virium, seu spontaneam lassitudinem, sicut Medici vocant. Et huic iudico hoc loco respondere *μαλακίαν*; cum scilicet aliquis non decumbit quidem, sed lapsu virium languet, ut significet infirmitates leviores: sicut debilitatem stomachi Græci vocant *μαλακίαν*. Atque ita *ῥῶγον* significabat morbos graviores & vehementiores. Syrus *ῥῶγον* reddidit *כאב*, quòd dolorem significat: *μαλακίαν* reddidit *כח*, quòd imbecillitatem & infirmitatem significat. Aut si placebit sequi Græcos 70. interpretes, *μαλακία* plus aliquid significabit, quàm *ῥῶγον*. Plerumque enim *יָרַח*, quòd morbos & dolores intensiores significat, Græci reddiderunt *μαλακίαν*. Et Matthæus primò loco recenset *ῥῶγον*, postea *μαλακίαν*. Omnino hæc est differentia, quòd unum significat morbum leviorum & remissiorum, alterum verò vehementiorum & intentiorum, sicut Germani differunt, *Schwachheit* / oder *Blödigkeit* / und *Kranckheit* / oder *Seuche*. Aut sicut in communi Græca lingua differunt, *ῥῶγος* & *πᾶσι*, quorum alterum significat morbum temporarium & curabilem, alterum infirmitatem inseparabilem & incurabilem. Tertium vocabulum *βᾶσαι* propriè significat tormenta, in questionibus & in suppliciis reorum, Luc. 16. v. 23. & 28. Apoc. 14. v. 11. 18. v. 7. 20. v. 10. & transfertur ad cruciatum parturientium. Apoc. 12. v. 2. & ad ictus scorpionum, Apoc. 9. v. 5. Matth. 23. v. 6. de cruciatibus paralyticos usurpatur. Manifestum igitur est significari morbos qui non vulgares dolores & cruciatibus secum ferunt; sed ex cruciant, & quasi tormentis excarnificant totam naturam. Arbitror autem respondere Hebraico, quòd usurpatur, Deut. 28. vers. 59. quòd significat plagam seu flagellum. Syrus habet duo vocabula *כח* & *כאב*, quæ significant cruciatibus & torsionibus confringere, afflictione & angustia constringere. Et ad hanc speciem pertinere etiam paralyticos, locus Matth. 8. v. 6. ostendit. Quòd si quis aliter sentiat, propterea quòd paralytici hoc

loco separatim nominantur, potest distributionem ita instituere, ut illa quæ hætenus recensuimus, sint nomina morborum interiorum: Paralytici verò pertineant ad illud genus, quando externa membra affecta aut læsa sunt. Præterea nominat dæmoniacos & lunaticos. Et de priori nulla dubitatio est: significat enim obfessos. Quòd enim Matthæus dicit: (*Sanavit dæmoniacos*): hoc Marcus ita circumloquitur: (*Ejecit dæmonia*.) Syrus habet Latinum vocabulum Divonos. Sed qui sint (*σεληνιαζόμενοι*) non convenit inter omnes. Vocabulum ipsum indicat esse *πᾶσι*, quòd pro ratione Lunæ crescentis vel decrescens, suas habet accessiones & declinationes. Ideò plerique interpretantur de morbo caduco seu comitiali, qui interlunio natis sæpè solet molestus esse. Sed hic morbus sub illis generibus, quæ jam explicata sunt, comprehenditur. Alii, qui inquirunt Hebraicas voces correspondentes, referunt ad Schaga vel *שגא*, quòd significat insaniam experturbatione cerebri orientem. Et apud Græcos quidem interpretes non observavi verbum *σεληνιαζόμενοι*. Videtur tamen non incommode esse, si ita distinguantur vocabula, ut dæmoniaci sint, qui à diabolo correpti exagitantur: Lunatici verò sint, qui mente moti furore corripiuntur, cujus causa sit non obfessio diaboli, sed perturbatio humorum in cerebro, qui pro ratione Lunæ, putantur plus vel minus moveri. Extat verò verbum illud Matth. 17. v. 15. ubi descriptio non abludit à morbo caduco. Puer enim ille sæpè cadit in ignem, sæpè in aquam, & fit ibi etiam mentio spumæ. Sed historia manifestè dicit fuisse obsessionem diaboli. Juxta illam igitur descriptionem, Lunaticus erit, qui certis temporibus morbo comitiali corripitur, & tunc simul à malo spiritu exagitatur, & in furias agitatur. Et erit hæc differentia, quòd dæmoniacos obsessio diaboli nunquam deserit: à Lunaticis verò malus ille spiritus aliquando recedit, & certo tempore rursus illos invadit. Ita enim descriptio Luc. 9. v. 39. inquit. Vix discedit ab eo dilanians eum. Syrus habet *רפך יערה*. Tremellius legit *דבר נהר* hoc est, Pythones sylvestres. Et hæc sunt genera malè habentium, quæ Matthæus recenset.

Illud verò requirit peculiarem observationem: quòd Matthæus dicit famam de doctrina & miraculis Christi in totam Syriam dimanasse, hoc est in omnes partes Syriæ, quæ Galilææ conterminæ sunt, ut in Syrophœniciam, Cœlesyriam & Syriam propriè dictam. Hic enim primus locus est, quòd etiam extræ gentes ad communionem doctrinæ & beneficiorum Christi tempore ministerii ipsius, admixtæ sint: cum scilicet annum & amplius prædicasset. Tria autem de gentibus prædicantur hoc loco. 1. Rumor de Christo in regiones gentium exivit. 2. Gentes, ut Syri, ex regionibus suis arulerunt Christo malè habentes, qui ab illo sanati sunt. 3. Inter illos, qui Christum sectabantur, hoc est, qui doctrinam ipsius & discebant & amplectebantur, fuerunt etiam Decapolitani, de quibus, quòd gentes fuerint, in prolegomenis ostendimus. Et hic locus, qui de vocatione gentium tempore ministerii Christi primus est, diligenter observandus est. Samaritani enim, de quibus supra dictum est, fuerunt quasi medium quiddam inter Judæos & Gentes. Habuit igitur Jesus illo tempore,



pore, circa festum Paschatis, satis frequentem Ecclesiam apud se, quam peragracione Galilææ collegerat. Secutæ enim sunt eum turbæ à Galilæa, à Judæa, ab Hierosolymis, ex regione trans Jordanem, quod interpretor de utraque, & quæ Judææ & quæ Galilææ opposita est. Et inter hos sectatores Christi, multi ex Syria, quæ Galilææ versus Septentrionem & Occalum sita est, ægrotos suos adduxerunt, ex Decapoli etiam, quæ Galilææ orientalis est, multæ turbæ ipsum sequebantur. Et Matthæus distinctè ponit hæc duo: Sanavit omnem morbum ἐν τῷ λαῷ, in populo scilicet Israël. Postea addit de Syria & Decapoli. Spacium igitur temporis non exiguum tribuendum erit huic pere-

grinationi Christi, in qua frequentem Ecclesiam ex tot & tam variis locis collegit, fama dimanante ex Galilæa in alias vicinas & remotas regiones. Et absque dubio valdè multa acciderunt in illa peregrinatione, quæ brevi compendio Evangelistæ complexi sunt, notatis tantum generalibus capitibus, quod multa & varia facta fuerint in peregrinatione illa miracula. 1. In curatione variorum morborum, sicut Matthæus scribit. 2. In ejectione dæmoniorum, sicut Marcus tradit. Quod verò ad doctrinam attinet, ex sanatione morborum & expulsionem dæmoniorum, colligi potest, & quia in præcedentibus illa explicata est, non opus est de- nuò eam hoc loco repetere.

C A P U T XLII
CONTINENS HISTORIAM DE LEPROSO, IN PRÆ-
CEDENTI PERAGRACIONE GALILÆÆ SANATO,
MARC. I. LUCÆ 5.

R A T I O O R D I N I S

POST mentionem præcedentis peragracionis Galilææ, Marcus sanationem leprosi cujusdam ita subjungit, ut omnino videatur in illa peragracione facta fuisse. Et eundem etiam leprosum à Luca capite 5, 12. describi, ostendit convenientia eorum, quæ post sanationem illam secuta esse, uterque & Marcus & Lucas ita describunt, ut eadem prorsus sint. Matthæus verò c. 8. v. 2. scribit leprosum suum sanatum, cum post prolixam illam concionem Jesus in itinere esset, ad famulum Centurionis sanandum. Ac sanè iisdem adeò verbis & circumstantiis, & apud Matthæum & apud Marcum hæc historia describitur, ut videatur idem esse leprosus, Matth. 8. v. 2. & Marci 1. v. 40. Nec citra necessitatem ex iisdem historiis diversæ sunt faciendæ. Sed hoc loco, si ponatur eandem esse historiam, cum Matthæus certam notationem leprosi sui sanati ponat, erunt Marci & Lucæ descriptiones ad Matthæi ordinem accommodandæ: unde sequetur convulsio ordinis historiarum apud Marcum, quem duce esse ordinis res ipsa ostendit. 2. Post sanatum Matthæi leprosum, Jesum statim intrasse Capernaum ad Centurionem, Luc. 7. v. 1. ostendit. Post Marci verò leprosum, Jesus non in civitatem, sed in desertum secedit, & post interjectos multos dies demum redit Capernaum. 3. Post sanatum Matthæi leprosum, Centurionis famulus Capernaum sanatur. Post Marci verò & Lucæ leprosum, paralyticus Capernaum sanatur. 4. Matthæi leprosus venit ad Jesum, cum in via esset à monte versus Capernaum: Luca verò leprosus venit, cum Jesus esset in civitate quadam. Propter

hæc igitur rationes cogor historias illas, licet similes, distinctas tamen in Harmonia ponere: ut alius sit leprosus Marc. 1. v. 40. & alius Matth. 8. v. 2. licet doctrina utriusque sit eadem. Ille verò leprosus, quem Lucas c. 5. v. 12. describit, idem est, qui Marci 1. describitur. Quæ enim post sanationem ejus secuta esse, Marci 1. & Luc. 5. scribuntur, eadem prorsus sunt. Cumque antea ostenderit, & res ipsa etiam loquatur, apud Lucam vocationem Petri, per rememorationem, sicut Augustinus loquitur, interpositam, aliàs idem historiarum ordo est apud Marcum & Lucam hoc loco: & hic primus locus est, ubi ex historiis similibus, sicut hæc est, in leproso Matthæi & Marci: propter evidentiam circumstantiarum, in iis quæ sublecuta sunt, cogor in Harmonia distinctas facere. Pono igitur hunc Marci leprosum in peragracione Galilææ sanatum. Quia enim Marcus & Lucas dicunt, Jesum in illa peragracione prædicasse civitatibus Galilææ, Lucas addit in quadam illarum civitatum leprosum hunc sanatum. Cumque Matthæus cap. 4. vers. 23. dicat, in peragracione illa Jesum varios morbos curasse: ex illis Marcus & Lucas unum exemplum leprosi describunt, atque ideo sanationem hujus leprosi, post historiam peragracionis in Harmonia subjungere volui. Videtur autem sub finem hujus peragracionis sanatio illa leprosi facta. Cum enim in hac peragracione doceret in civitatibus. Luc. 4. v. 43. post illam leprosi sanationem non amplius in civitatem aliquam intravit, donec veniret Capernaum sanaturus paralyticum, sicut Marcus & Lucas dicunt. Ita ergo ordo historiarum pulcrè cohæret, & plana sunt omnia.

HISTORIA LEPROSI IN PERAGRACIONE GALILÆÆ SANATI.

MARC. I.

40. Καὶ ἔρχεται πρὸς αὐτὸν λεπρὸς παρακαλῶν αὐτὸν, καὶ γογγυζῶν αὐτὸν, καὶ λέγων αὐτῷ· ἔτι εἰς θάλασσαν δύνασαι με καθάραισα.

40. Et venit ad eum leprosus, deprecans eum & goggyzans ad genna accidens, ac dicens illi: Si vis poteris me curare.

41. 0 5